




Abrahami Du Ry De liberalium artium contemtu, ejusdemque caussis ...

<https://hdl.handle.net/1874/214711>


3

ABRAHAMI DU RY
ORATIO
DE
LIBERALIUM ARTIUM
CONTEMTU, EJUSDEM-
QUE CAUSSIS,
HABITA PUBLICE
A. D. III. IDUS OCTOBR.
clo. Io. cc. xli.

Cum Goudani Gymnasi Regimen capeſſeret.



G O U D A E,
Typis GULIELMI ET JOANNIS VAN ESCH.



V I R I S
N O B I L I S S I M I S , A T Q U E
G R A V I S S I M I S ,
F L O R E N T I S S I M A E C I V I T A T I S
G O U D A N A E

M A G I S T R A T I B U S
P R A E T O R I , C O N S U L I B U S , J U D I -
C I B U S , A C S E N A T O R I B U S ;
N E C N O N
G Y M N A S I I G O U D A N I .

C U R A T O R I B U S
V I R I S A M P L I S S I M I S , S P E C T A T I S S I M I S ,
P A T R O N I S S U I S M U N I F I C E N T I S S I M I S ,
E T
Q U I I I S D E M A B A C T I S E T S E C R E T I S
S U N T ,
O R A T I O N E M H A N C I N A U G U R A L E M
Q U A P A R E S T R E V E R E N T I A

L. M. Q. D. D.
A B R A H A M U S D U R Y.

ABRAHAMI DURY
ORATIO
INAUGURALIS
DE
LIBERALIUM ARTIUM
CONTEMTU,
Ejusdemque
CAUSSIS.

HONORATISSIME AC GENEROSISSIME PRAETOR.

NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI CIVITATIS GOU-
DANAEC CONSULES, AEQUISSIMI JUDICES,
CONSULTISSIMI SENATORES.

GYMNASII CURATORES BENIGNISSIMI, VIRI
SPECTATISSIMI, INLUSTRISSIMI.

QUI MAGISTRATIBUS ESTIS AB ACTIS ET
SECRETIS VIRI GRAVISSIMI.

DIVINAE MENTIS INTERPRETES FACUNDIS-
SIMI, CASTISSIMI.

A

OM.

OMNIUM ARTIUM ET SCIENTIARUM DOCTORES CONSULTISSIMI, EXPERTISSIMI.

CIVES, HOSPITES, ADVENAE, QUOTQUOT ADESTIS, CUJUSCUMQUE ORDINIS, ET DIGNITATIS, ORNATISSIMI.

PRORECTOR, PRAECEPTOR, VIRI DOCTISSIMI, COLLEGAE AMICISSIMI.

TU DENIQUE LECTISSIMA JUVENTUS, PATRIAEC, ECCLESIAE AC FAMILIARUM SPES, NOSTER AMOR, NOSTRA CURA, NOSTRAE DELICIAE.



hil in rebus humanis levius ac mobile magis dari quam ipsum Judicium Humanum, cuius mira varietas abunde satis et quam plurimis declaratur indiciis, docet vel cuivis nota Paroemia, omnia orta occidunt et aucta senescunt. Atque id in judiciis et moribus hominum quisque observet necesse est, etiamsi animum de industria neutiquam advertat.

Nonne testantur id vestium et ornamentorum nova identidem nomina, novi habitus, novae species;

O R A T I O , &c. 3

species ; quibus si quis sapientior resistere tentat, elegantioribus , ut praedicari et haberi volunt , ridendum se praebebit ?

Nonne illam ipsam humani judicii levitatem hominum sermonis , vernaculae etiam linguae, mutatio manifestam facit ? qua effectum est , ut olim jam Romani sermonis peritissimi omnia foederis verba , cum Karthaginiensibus a primis post Reges exactos Consulibus initi vix inteligerent. Usque adeo intra breve satis temporis spatium a pristina simplicitate Latina deflexerat lingua.

Et quis eamdem nostrae aetatis rationem non adgnoscat , qui superioris aevi scriptores nostra vel Gallica lingua paulo antiquiore usos nunc evolvens , necessariae interpretationis mox egere se intelliget ?

Quid miramur humani Judicii inconstantiam in damnandis ac respuendis rebus , quas priora saecula probarunt et avide adripuerunt , cum maximi omnium momenti res , in qua omnium salus et vera sapientia vertitur , iisdem mutatio- nibus ac vicibus sit obnoxia ?

Quae cum ita se habeant A. H. et humanae indolis inconstantia efficiat , ut desiderata quon-

A 2 dam ,

4 O R A T I O

dam, jam vero parta, segnius paulatim amet ipsa ac tueatur, neque umquam pari animorum contentione diu in eodem gradu persistat, facile intelligitis, ex eodem fonte derivandum esse liberalium Disciplinarum contemtum, quo optima illa Studia, quibus olim soli honestioris fortunae Viri eruditi solebant, quaeque, postquam spissis barbariae tenebris obrutae jacuerant, summa ope et intensis Summorum Virorum laboribus feliciter tandem ad maximum incrementum ac dignitatis fastigium emerserant, nunc infami socordia tantum non ad miserandum interitum reciderint.

Cum vero more majorum praevia Oratione proludendum, atque publica auctoritate Sugestus hic conscendendus foret, ut propitia neque vulgaris benevolentiae indicis plena Amplissimorum Virorum de me ac studiis meis iudicia palam gratus praedicarem, Qui me non sollicita prensatione aut sordido ambitu obrepentem, sed ultro ac sponte sua moti benigno de meis conatibus sermone, praecipuo honore augere ac decorare voluerunt; neque a muneric suscepti auspiciis, neque a persona, quam tueri conor, alienum me facturum existimavi, si hoc tem-

INAUGURALIS. 5

tempore, non longe deducta argumentorum serie, exponere sumerem superbum LIBERALIUM ARTIUM CONTEMPTUM ac Fastidium, nec non perversae Judicij iniuitatis CAUSSAS, quibus si occurratur spes foret Literarum studium, atque adeo ipsas Scientias ad pristinum decus ac splendorem revocari aliquando, et ab interitu vindicari posse.

Verum si Socrates, praesente Phaedro amorem vituperatus, facere id non audet, nisi sibi prius pallio caput obnupserit: multo me magis tenuitatis meae consciū, in Amplissimo hoc Eruditissimorum hominum conventu declamantem pro iis artibus, quarum omnes dignitate ac pulcritudine ita incensi estis, ut sine earum tractatione ne vitam quidem ipsam jucundam putetis, et quas Vobis omnibus in amoribus ac deliciis esse constat, verecundari par fuisset.

Praeterea et alia occurunt, quae me commovent, nec quieto esse ac sereno animo sinunt. Nam in tam ubere ac copiosa materia necesse est, ut cuique multa in mentem veniant, quae commode dici queant: neque fieri potest, ut, quidquid omnes cogitant, dicat unus. Ut melior hac in parte sit eorum conditio, qui in ari-

6 ORATUI

dis ac sterilibus argumentis versantur , quoniam ubi ampla dicendi seges est , quidquid adlatum est , ubertati materiae adscribitur , quidquid omissum est , Oratori . Quapropter benevolentiae Vestrae aram amplexus A. Omnia Ordinum Spectatissimi , oro , ut humanitate Vestra ac benignitate me sublevantes animum addatis . Faciles adeste nec severi nimis Judices ! et si vera , utilia , apta ad id quod mihi propositum est , digna hujus loci auctoritate , digna Vestris auribus adulero , hoc ipse me satis ornate dixisse arbitrabor .

Ut igitur rem adgrediar . Quis , quaeso , negaverit deploranda hominum socordia literarum Studia jacere prorsus spreta ac neglecta ; ut si ratio ineatur illorum , qui inlustres Literarum Vindices ac Statores , quos prior aetas tulit , aequare , eorumque vestigia premere posse censendi sint , perexiguus inveniretur numerus ?

Quam vero tantae penuriae caussam quis derit A. H. nisi Literarum contemtum ac stolidum fastidium ?

Ne autem quis existimet Literarum utilissimum Studium codem semper loco fuisse habitum !

Fuit enim quondam , fuit illa Literarum aestimatio ac laus , ut Viri in Republica Principes maximi

INAUGURALIS. 7

maximae sibi laudi duxerint ac gloriae , literis
inbui atque illis Studiis et Disciplinis inpertiri ,
quae nunc , proh dolor ! inferioris fortis ho-
minibus relinquuntur.

Ne Veterum monumenta Vobis ob oculos po-
namus , atque remotae nimis vetustatis antiqua
exempla , quae forsan ut obsoleta jam ac rustica
quis politioris elegantiae et urbanitatis fautor
facile respuat , ad partes vocemus , ad seriora
descendamus tempora.

Quem latet , nisi optimorum studiorum igna-
rum plane , adeoque rerum maxime iniquum
judicem , et generis antiqui splendore et divitia-
rum abundantia conspicuos Viros , quin et Prin-
cipes , Reges ac Pontifices Literarum adeo fuisse
studiosos , ut doctarum Artium amore noctes
diesque iisdem invigilaverint , continuis labori-
bus corpus et animum fatigaverint , Literas pro-
fitentes omni existimatione sint complexi , om-
nem operam contulerint , et ea omnia , quae Li-
teris promovendis , ornandis , augendis inser-
virent ?

Testes sint splendidissima illa literati Orbis si-
dera , quae saeculo quinto decimo et sequenti
doctrinae radios emittentes effecerunt , ut in cultae
bar-

8 O R A T I O

barbariei tenebris dissipatis ac disjectis , mollio-
ris coeli serenitas adfulserit.

Quid Palmerios , Poggios , Antonium Panor-
mitam , Laurentium Vallam , Joannem Picum
Mirandulanum Comitem , Politianum , praeter
Scaligeros , Salmasios , Spanhemios , Norisios ,
aliosque aeternae famae Heroas , cunctis toties
celebrata nomina , enumerarem ? cui enim non
dictus Hylas ?

Quis est , qui ignorat Aeneam Sylvium Pa-
pam , nec non Eugenium quartum , Nicolaum
quintum , Leonem decimum , Adrianum Sex-
tum , Matthiam Corvinum Hungariae , Ludo-
vicum duodecimum et Franciscum primum Gal-
liarum , Jacobum primum Scotiae Reges , atque
innumeros alios primi ordinis Viros , insignes Li-
terarum Patres , Patronos ac Cultores exstissem ?
Neque opus est A. H. ut ad aliarum gentium
exempla transeamus . Nonne nostra haec ipsa
Patria , felix Batava tellus , praestantissimorum
ingeniorum Altrix , sublimes illas animas , Lite-
rarum Promotores tulit Nobilissimos Heinsios ,
Douzas , Grotios , aliosque inlustri prosapie ge-
nitos , qui Imperatorum ac Regum vestigia se-
cuti Literarum studiis insigne decus et ornamen-
tum adtulerunt ?

Haec

INAUGURALIS. 9

Haec si vera sint , sunt autem verissima , quem nostrae aetatis socordiam ac stuporem non dicam mirari ; sed flere , quin gentis nostrae pudere oportet , in pejus magis magisque ruentes mores , ac prolapsa Literarum studia conspicientem ?

Nolim tamen ut quis profligatae adeo vanitatis me insimulet A. H. ac si non adgnoscerem , et nostra tempora praeclara omnium Ordinum ferre ingenia , et aequa doctrinae laude conspicuos ac nobilitate generis inlustres Viros ! aut quasi ideo indicare vellem nullam omnino Literarum geri curam !

Absit ! Contraria evincunt ac testantur nobilium et excellentium Ingeniorum uberrimi preventus , atque aeterna omnis generis doctrinae et eruditionis monumenta . Vel muti Curiarum , Academiarum , ac nonnullorum Gymnasiorum parietes clamant , etiam in hac nostra Patria , insignis Patrum Reipublicae cura , qui Scholas ac Ludos aperire non cessant , quibus liberales Adolescentes ac Juvenes bonis artibus instruantur , humaniorum literarum studiis et elementis inbuantur , fingantur et excolantur , testis est , Literarum Vindices , elegantiorum Artium Patronos nondum deesse .

B

Sed

10 O R A T I O

Sed si vera fatemur ; nonne tamen quivis intelligit plurimos dari Literarum contemtores , atque in paucissimis verum illum liberalium Artium amorem conspicere , plerosque ab majorum acerrimo studio degenerare ; cunctos fere Literarum studio abjecto ad illas Disciplinas saltum facere , unde commoda multo plura ad se redire arbitrantur , et faciliore tramite ad honorum ac divitiarum culmen pervenire se posse existimant : a labore enim ad lubidinem proclive est humanum ingenium . Atque ita prima sponte sua aperit se Literarum studii contemtus caufsa.

Nempe eadem sunt morum quae disciplinarum fata. Inde oritur , ut cum in eodem populo reperiantur tempora , quibus Frugalitas , Temperantia , Severitas , Gravitas non modo auctoritate legum , sed lubenter , nemine fere cogente ab omnibus civibus exercebantur ; mox diversa vigeant vitia , quibus Virtutes illae rusticitatis accusantur , et luxuria , ambitio ac levitas speciosis Elegantiae et Urbanitatis nominibus commendantur.

Id quoque in nostrae aetatis hominibus plerisque ita reperiri nemo aequus Judex negaverit , qui nostros

INAUGURALIS. 11

nostros mores, nostram vivendi rationem majorum nostrorum institutis composuerit.

Ut enim illi jam ab ineunte aetate a lubidine proclives erant ad laborem; ita contra nostri Adolescentes facile otio se atque ignaviae dedunt, mollemque vitam ac voluptariam sequuntur, ii praesertim quibus amplum patrimonium est, parum intelligentes divitias sapienti Viro ornamento, rudi vero ac stolido nil nisi stultitiam esse.

Hi, dum severioris disciplinae legibus pueri coercentur, non sine summo taedio, vana et inania semper cogitantes, literarum elementis operam aliquam dant; deinde curriculo illo malis avibus confecto ad Academica Studia transcripti nil minus curant, quam solida verae Eruditionis studia. Haec vilia nimis ac generis nobilitate indigna illis videntur. Hinc illa potissimum amplectuntur, quibus urbani, politi, dicam an effeminati? tenero ac molli foemellarum gregi placent. Diligenter cavent ne librorum, unde nil nisi pallorem et feros atque austeros mores quis contrahat, foetore, hujus saeculi moribus adcommodati minus et horridi adpareant.

Student ut concinne in circulis blanda sibila ab docte composito ore fundentes, unguentis ma-

12 ORATIO

didi , comis egregii artificis manu et ad speculum dispositis , modo suave cantillantes , modo inter lepidos jocos barbara verba patrio sermoni apte miscentes , venuste ad elegantis artis numeros agile corpus moveant , inclinent , flectant ; mimos magis quam severiorum disciplinarum studiosos imitati.

Quis non facile intelligit Adolescentum ac Juvenum animos , ubi ita ludo ac joco diem consumere , ac genialem vesperam alea et vino compонere , eamque in noctis tempora educere didicerunt , brevi alienos prorsus ab omni labore fieri , et operis faciendi fastidium , lucubrationis taedium protinus oriri , adeoque Literarum contemptum . Jacent libri ut inutilia operosae doctrinae instrumenta . Ludi ac Joci Venerem et Cupidinem circumvolantes petuntur et exoptantur . Ridentur ut antiquae austерitatis homines ac ferri , qui diligentius Musarum sacris operantes in Museum abdere se gaudent . Respuitur labor inutilis , qui Veterum evolvendis monumentis inpenditur , quippe vix post longam annorum seriem id praestans , quod brevius studiorum compendium , facilem ac jucundam viam ad summos honoris gradus aperiens , exhibit .

Si ,

INAUGURALIS. 13

Si , quibus angustior res sit , quam ut nihil agentes ferat , ad literarum studium animum applicant , feri habentur et inculti , ad Grammaticorum subsellia relegantur , indigni qui inter honestioris generis homines locum occupent.

Quo loco tandem nostri ordinis homines fere habeantur , res ipsa loquitur ; cum *Pedantium* egregio cognomine , vel , si mitiore vocabulo quis utatur , *Ludimagistrorum* titulo decorentur.

Non ago jam de caussis , quibus nonnulli veris rerum aestimatoribus contemnendos se redundunt , atque Eruditorum hominum indignationem sibi arcessunt : sed illum contemptum intueror , quo optima studia pro vili et abjecta re jacent , et liberalium artium Doctores fastidiuntur.

Parum tamen est , quod queror , A. H. libens et ego calumnias et vituperia , quibus liberalium Adolescentum Magistros belli isti homunculi prosequuntur et onerant , subirem ; nisi majus inde Reipublicae inmineret damnum. Cum enim Literarum ille contemptus maxime oriatur ex luxuria ac voluptatum amore , quid tandem inde nisi universae Reipublicae , omnium Civitatum exitium sperandum videtur ?

B 3

Qui

Qui enim fieri possit, ut Adolescentes voluptatum atque omnium vitiorum inlecebris adlecti, Juvenes ad perniciosa illa studia incensi, Viri facti et Rerum publicarum clavo admoti, publicae utilitati caveant, publicam libertatem tueantur, civium fortunis provideant; qui omnium rerum, quibus adprime opus est, rudes, aliarum gentium fata, quin populi sui res gestas, ignorantes, nulli rei nisi solius corporis voluptatibus inserviunt ac student?

Qua ratione, fidem Vestram! A. H. fiet, ut is qui literarum contemtu ductus, viva, quae in prisci aevi monumentis insignium Virorum habemus, exempla negligens, utilis suae civitati evadat Civis? Rectius enim illa, quam ulla philosophorum praecepta, virtute, justitia, probitate, pietate in Patriam, morum integritate, vera fide, et quibus, quicumque utilis Civis et publicae rei gubernator ac moderator haberi et esse cupit, carere nequit, cuiusvis pectus et animum inbuent.

Quis enim de Justitia melius Aristide differuit? Quid Cimonis pietate inlustrius? Quid Solonis aut Lycurgi legibus sanctius? Quis vitam Patriae saluti postponendam praeter Codros, Decios, Cur-

INAUGURALIS. 15

Curtios, magnae animae prodigos, evicit umquam non tam diserti sermonis viribus, quam fortissimae virtutis exemplo. Quid fictilia sua Samnitico praferentem auro Curium? Quid parvo potentem Fabricium commemorem? Quid castitatem Scipionis? Quid infractum Catonis animum, et summam Viri constantiam? Plenitulum sunt omnes libri, plena Veterum monumenta, plenae exemplorum historiae.

Si ferus et agrestis habetur is, qui Veterum Pictorum ac Statuariorum manus non summo opere laudat ac miratur; qualis ille censendus videbitur, qui tot clarorum animorum imagines, tot viva coelestium ingeniorum simulacra non ingenti ardore complectetur, sed nihil fecerit ac neglexerit? Atqui, Literarum contemtum id efficere, fatendum est.

Aristippus egregie, cum quaeisset quidam ex eo, quid boni filio suo adlatura esset eruditio? *Si nihil aliud, hoc certe, inquit, quod in theatro lapis in lapide non sedebit.* Itemque alteri, qui cum sibi nimis magnam mercedem posci pro Institutione filii videretur, dixerat, *ista pecunia servum mihi emere possum.* Tu vero, inquit jocans, etiam eo amplius: *si unum emeris, duos habebis.*

Signi-

16 O R A T I O

Significavit videlicet , quorum inlustratus doctrinarum luce non esset animus , eos lapidum non hominum , aut , si forte inter homines , servorum non ingenuorum loco ac numero esse habendos.

Sed videor mihi audire quosdam ex illis , qui nobiliore loco natos se jactant , dicentes ; quid nobis cum molesto illo labore , quo eruditio-
nis famam sibi quaerat iste , quem tenues copias inde augere ac promovere sinistra cogit fortuna ! Nobis majorum nostrorum virtute est , unde otiosi lauteque ac splendide vivamus ?

Sed quid majores Vestros nominatis ? Qui si Vestri fuissent similes , vos hodie in postremis jaceretis. Si , quales Vos estis , tales et ipsi fuissent , indigni forent qui nominarentur : si alii , vos indigni , qui eos nominetis.

At videte , quantum a sapientissimi poetae Hesiodi judicio vestra ratio discrepet ! Laborem ille et industriam nemini , languorem et ignaviam omnibus turpem esse confirmat.

Teneamus igitur id quod a sapientissimis vi-
ris proditum est , nihil esse inertia foedius ;
otio ali vitia ; otium non privatis hominibus
tan-

INAUGURALIS. 17

tantum , sed et regibus , ac beatis Urbibus
exitii caussam fuisse.

Argumento nobis sit vel ipsa Romana Res-
publica ; liberalium Artium neglectum caussam
esse ruinae cuiusvis Imperii.

Quam ob caussam tantae felicitatis culmen
Romanam Rem adtigisse censemus A. H. ut
Rerum Domina ac Dea praedicaretur ? nisi quod
vigeret optime constituti Imperii moderatio ,
liberalium Artium ac Virtutis studio aucta ,
firmata , ac stabilita .

Liberales Artes ac Literas cur potissimum
memorem , atque in harum contemtum cur
praecipue invehar , ne miremini A. H. Ut
enim constat omnes Artes , quae ad humani-
tatem pertinent , habere quoddam commune
vinculum , et quasi cognatione quadam inter
se contineri ; ita facile mihi concessuros Vos
arbitror , nullam dari artem , unde subsidii
plus reliquis veniat , quam illam , quae pris-
corum temporum monumenta , ac pretio-
fissimas gazas recludit , et viam ad easdem
facit .

Id certe inficiabitur nemo paullo humanior ,
contemtum Literarum , inertiam , luxuriam ,
C om-

18 ORATIO

omnium vitiorum cluviem , feram barbariem ,
atque omnium liberalium artium , quibus salva
Civitas carere nequit , interitum et oblivionem
inducere.

Animadvertisite quaeſo Romanas illas Artes ,
quarum ſtudio Romanae vires tantopere creve-
rant , et quas obſoletas ac jacentes Augustus
Caesar revocavit , quo Imperium porrigeretur
ab occaſu Solis ad ortum .

Haud aliae fuerunt illae , quam quibus inter
alios ſevere adeo ſtuduit Cato ; qui in omni-
bus rebus ſingulari fuit prudentia et industria .
Nam et agricola ſolers , et Reipublicae peritus ,
et Jurisconsultus , et magnus Imperator et pro-
babilis Orator , et cupidissimus literarum fuiffe
traditur .

Adparet igitur has belli ac pacis Artes fu-
ffe , quibus dum incumberent Romani , ab
omni luxuria et voluptatibus alieni , aemulae
Carthagini obſistere potuerunt , eamque tandem
a stirpe evertere . Prudenter ideo Carthagini
parcendum cenebat Scipio , eamque minime
delendam , ut Cato cenebat ; ne metu ablato
aemulae Urbis , luxuriari felicitas inciperet .

Magna enim Civitas diu quiescere nequit , fi-
foris .

INAUGURALIS. 19

foris hostem non habet, domi invenit, et nimiam fortunam quaecumque fere comitantur vitia, ut segnis luxuria, effusa largitio, infamis avaritia, et inmanis ambitio.

Hi exitiales hostes cum formidabilem illam Rempublicam liberam jam adfixerant, sub Caesaribus tamen vel maxime invalescentes pessum dederunt.

Quid aliud Romanam Rem sub Tiberio magis pressit, quam maxima hominis socordia, juncta cum acerbissima tyrannide? Qui voluptatibus immersus nulla fere amplius Imperatoria munia subibat, adeo quidem, ut toto principatus sui tempore, quod duorum et vinti annorum spatiū complectitur, provincias et exercitus non tantum non reviserit, sed ne Italia quidem excesserit.

Quin semel cum in insulam Capreas se abdidisset homo segnis, omnem publicarum rerum curam usque adeo abjecit, ut non Tribunos militum, Praefectosque, non Provinciarum Praesides ullos mutaverit, quas etiam per aliquot annos sine Legatis reliquit.

Inde ortum, ut Armeniam Parthi occupaverint, Moesiam Daci Sarmataeque, Gallias

Germani vastaverint , magno Imperii dedecore , nec minori discrimine.

Claudii deinde Imperatoris segnities atque stultitia omnem excessit modum ; qui libertis et uxoriibus addictus plane regi se ab iis passus est , non Principem sed Ministrum agens ; dum cujusque horum studio ac libidine omnes honores , exercitus , inpunitates , supplicia largitus est. Ut nihil mirum sit , si quae damna eo imperante Res publica passa fit.

Quid de Nerone dicam ? cuius temporibus *inertia pro sapientia fuit* , qui pejor an ignavior fuerit perincertum. Id solum semet ipso Imperatoriaque Majestate dignum existimans , ut certaminibus Musicis ac ludicris alios vinceret.

Haec itaque dum sedulo curat , Imperium interea multa damna fecisse rationi consentaneum est ; nec discrepant facta.

Ignavis Principibus , per quorum segnitiem maximas clades passa est Respublica , adnumerandus est Commodus , homo Neroni simillimus ; nil nisi ludos et gladiatorialias pugnas curans , copiam fecit barbaris , qui ultra Dacianis incolebant , Imperii Romani fines impune invadendi : Caledoniis seu Scotis et Pictis murum illum ,

INAUGURALIS. 21

illum, qui inter ipsos et Britanniam inferiorem intercedebat, transgressis, magnam Romanis et Sociis cladem inferentibus.

Videtis A. S. nisi omnia me fallunt, haud parum ad interitum Imperii Romani contulisse ignaviam, voluptates ac bonarum Artium neglectum, adeoque Literarum contemtum; donec tandem post plurima et innumera damna, longum enim foret omnia persequi, a Zeno-
ne Imperatore Constantinopolitano Italia invadenda traderetur Theodoro Ostrogothorum Regi, atque Imperio Occidentali funditus extinguedo ultima quasi manus inposita fuerit.

Imperii ita ruina comitabatur tristissima Artium liberalium fata; quae sub Imperatoribus negligentius non modo exultae, sed et plane extinctae sunt. Idque hac potissimum de caufsa, quod Principes Artes, tamquam inimicas vi-
tiis, simul odio ac reverentia earum, relegarent; et expulsis Sapientiae professoribus, atque omni bona arte in exilium acta, id age-
rent, ne quid usquam honestum occurreret.

Illo quippe studio neglecto, ac moribus corruptis, degenerant cives a labore, ac virtute, adsuetudine voluptatum. Quo efficitur, ut boni

22 O R A T I O

freti conscientia justi et aequi removeantur, mali contra cuncta perturbantes, ac vitia Principum haud minus amantes, quam quorum virtutes vereri oporteret, publicarum rerum ruinam maturent; et nemo reperiatur, qui communi saluti prospiciendo aptus sit, virtute ac bonarum rerum peritia exulantibus.

Satis puto et quantum opus est, collapsam et eversam Romanorum Rempublicam, potissimum prae bonarum Artium studio spreto, voluptatum labore contaminatam, et erutam demonstravimus.

Idem de aliorum Regnorum ac Rerum publicarum eversionibus dicendum.

Dubitat quis? oculos convertat in illam communis olim Eloquentiae patriam, in illud Sapientiae quondam Templum, alterum Graeciae oculum, Athenas inquam, atque potentem illam Graecorum Rempublicam.

O! foedum simul ac miserandum spectaculum! Fata Graecarum civitatum quis vel leviter oculis lustrans, orbis terrarum principem, viribus et dignitate vigentem, regum gentiumque semper victricem, ac multarum Urbium Dominam, brevi in deplorandam adeo fortē
pro-

INAUGURALIS. 23

prolapsam intelliget ; ut alienis excubans sedibus bellum aut rogare aut deprecari cogeretur ; in alterius ope omnem spem ponens , eoque redacta , ut adularetur ultro sordidam paulo ante clientelae suae partem.

Si cui caussae , sane , quod abunde satis Graeciae Eloquentiae Principis Orationes declarant , omnia illa mala , omne id exitium voluptatum ardori , civilibus dissensionibus , bonarum rerum contemtui , Graecorum inertiae ac depravatis moribus accepta referenda fuerunt . Restat ut aliam caussam Literarum studii contemtus indicemus .

Haec quidem primaria est , atque in Parenibus ipsis quaerenda ; qui veriti ne tenera aetas nimio labore oneretur , opprimatur , saepius ab laboribus ac necessariis studiis ad voluptates et noxia gaudia liberos protrudunt et incitant , imprudenter nimis divitias et opes , quae numquam passurae videntur , quo opulentissimae ullius rei egeant , jactantes ; quibus sermonibus faciles aures adolescentia praebet , ac tanto citius utilissima studia fastidit .

Ita nullis elementis inbuti ad Academica studia transvolantes , mutas personas , ubi de studiis .

diis sermo est , agunt , ac tandem solis titulorum phaleris existimationem apud rude vulgus sustentant . Qui humiliore loco sunt nati , sumptibus parcentes insigne tamen aliquod munus avide ambientes , praecipiti cursu properant , inlotis manibus quaevis sacra profanantes ; dum rerum rudes non perpendunt , cum in corporis exercitiis non nisi longinquitate temporis ac multo usu quisquam possit proficere , ineptum esse in Literarum studiis atque in gravioribus disciplinis , uno quasi spiritu omnia velle haurire . Hinc voti compotes sero intelligunt se subsidiis carere , quibus ad solidam doctrinam paratur iter ; et dum tacite pudet illos ignorare ea , quae aliis notissima sunt , superbo supercilie despiciunt Grammaticales ac Scholasticas nugas , tantis ingeniis minime dignas . Ita canes festinantes caecos pariunt catulos ; nimia enim velocitas ac festinatio omnem veram Eruditio- nem impedit .

Possint equidem multo plures caussae in me- dium proferri , quae Literarum contemtum a- lunt ac fovent ; quarum haec praecipua iterum nobis occurrit ; nempe quod studia illa potissi- mum iis relinquuntur , qui inferiore loco orti
victum

INAUGURALIS. 25

victum inde quaeritare solent, unde etiam nemo fere generosior Scholastico muneri admoneri cupit ob contemtum, qui illud vitae genus comitatur, et ob exiguum stipendum. Hinc Musarum paupertate spreta, et inutilibus illis Studiis sepositis, quisque ad ea se adjungit, unde honores et opes crescere existimantur. Verum cur, quaeſo, pro vili adeo officio habetur pueritiam moderari? num ergo nihili est bene moratos esse cives, bonarum rerum prudentia instructos, cum nihil magis et ad diuturnitatem et ad ordinem Reipublicae pertineat, neque pluris intersit?

Alia plane sententia ac diversa mente fuere prioribus saeculis Viri Principes, qui maxima cum cura erudiendae Juventuti homines, morum integritate, et doctrinae laude, claros praefererunt, eosque amore et insigni liberalitate sunt prosecuti.

Si veteriorum temporum memoriam repetimus, videbimus Aegyptios, Spartanos, aliosque populos formandis puerorum animis multum operae inpendisse.

Illi in Principibus erudiendis, et ad mores, quales voluerunt, componendis, diligentissimi

D fuere.

fuere. Hi, cum ad militiam Rempublicam instituissent, iis moribus et studiis pueritiam et juventutem inbuerunt, quibus ad Patriae defensionem et rem strenue gerendam opus esset.

Hac de causa non tantum ad Parentes, sed ad Magistratus ipsos, educationis haud contemnenda cura referenda videtur; quod ex Legislatorum munere adparet, qui non solum Legum ferendarum, sed praecipue Juventutis educandae rationem habuerunt.

Sane si de moribus populi, per disciplinam publicam formandis, serio Cives cogitarent; si Artes, quibus Respublica quam maxime munitur ac confirmatur, omnibus majori essent curae: minime dubitandum videtur A. H. quin multo majus decus et ornamentum Literarum Studiis accederet.

Si itaque ex iis, quae diximus, adparet, Literarum Studii olim multo majorem fuisse existimationem, ne cuncta persequar, neque Majorum nostrorum laudanda prorsus instituta, iisque munitae Reipublicae nostrae florentem statum, quem non facile absque invidia nostrae aetati quis componat, nunc recensem; si, quod ipsa res clamat, Reipublicae utilissimis artibus, Literarum Studio opus est, eademque illo-

ne-

INAUGURALIS. 27

neglecto ad exitium ruat ; quid aliud inde efficiemus , nisi quod demonstrandum suscepferam , nihil perniciosum atque Civitati exitiale magis dari , quam Studii Literarum contemtum.

Ut ergo tanto malo occurratur , videtis omni cura incumbendum esse , ne umquam tanto voluptatum atque inertis vitae studio , et insano furore abripiantur adolescentes , quo minus egregiis artibus invigilent ; eoque virtutis et bonarum disciplinarum prudentia inbuantur liberi attendendum ; ne Patria vindicibus suis aliquando careat.

Ut boni Civis officia addiscant , ac Reipublicae utiles evadant , manu ducantur ad illa studia , quae ipsorum peritos tantum ab indoctis inliteratisque discernunt , quantum illi ab mutis aeratione destitutis animantibus discrepant.

Et quid , quaeso , amoenius , quam per hos delicatissimos hortos , quibuscum nec Hesperidum , nec Alcinoi horti sunt comparandi , quocumque volueris spatiari ? His studiis adolescentia pascitur , virilis aetas corroboratur , oblectatur senectus , publica haud parum adjuvantur et augentur commoda.

Quantum igitur devinetos esse , et quam grato animo prosequi nos oportet Reipublicae Patres ,

D 2

Qui

28 O R A T I O

Qui Seminaria illa , unde Juventute liberalibus Disciplinis instructa ac facta , mox multae et magnae in Ecclesiam , in Forum , in Curiam , in omnem Rempublicam utilitates redundant , constitui jusserunt , eademque adhuc alunt , fovent , ornant.

Quantum est , quod Vobis debent Cives Vestri , Amplissimi Civitatis hujus Consules et Gymnasii Curatores ? quid utilius bene constitutae Civitati Vestrae , quid liberis ipsis profuturum magis conferre potestis , quam consulere et curare , ut sub disciplina domestica erudiantur Adolescentes , atque a perniciiosis voluptatibus et turpi ignavia arceantur ?

Ast quo ore , quo digno satis grati animi indicio merita Vestra in me praedicabo , P. A ? Qui me hominem Vobis ignotum non mala quadam de labore nostro existimatione , quam aper- to indicio declarare voluistis , illo favore dignati estis , ut erudienda Vestrae , primisque Literarum elementis inbuendae , Juventuti praeficerer.

Sane cum utram in partem inclinandum esset , incerta mihi mens fluctuaret , ac pene munus , quod Vestra mihi , Viri Amplissimi , inponit auctoritas , detrectare , et humeros oneri , cui feren-

INAUGURALIS. 29

ferendo me parem non adgnoscerem in ampliore theatro , subducere mallem , dum per tempus liceret , quam ut postea , ob virium infirmitatem , sub graviori pondere succumbens , exspectationi Vestræ satisfacere nequirem , cogitationum tamen ac sollicitudinum aestum sedavit benevolentiae Vestræ indicium ; ac rustici magis aut jacentis animi , quam modesti ac verecundi fore ratus sum , si humiliter nimis aut abjecte de me ipso judicando , dexteritatem Vestræ in aestimandis ac probandis ingenii arguerem.

Quod itaque Deus Ter Optimus Maximus bene ac feliciter mihi et studiosae Juventuti Vestræ evenire velit , quae ab Amplissimis Viris injuncta mihi sunt , meaeque curae mandata , promptus et alacer suscipio , omnique me ope ac totis viribus adnisorum me promitto , ne Gymnasii Vestri splendor mea culpa vel negligentia ullum detrimentum cepisse censerri possit.

Si igitur Civibus Vestrīs , aut Vestrīs etiam Liberis non inidoneus atque inutilis fuero ; si eamdem illis operam praestaturus sum , qua Gorinchemensis Civitatis Patrum favorem mihi conciliavi , eundem Vos Viri Nobilissimi et Amplissimi , et exhibitam benevolentiam ne dene-

30 O R A T I O

getis! utinam, ad Eruditionem Praestantissimi Decessoris mei *Ottonis Arntzenii* proprius accederem! pronam tamen illam ac prolixam, quam ostendistis jam Voluntatem Vestram, quod votum mihi praecipuum, ad ultimum vitae halitum propagate!

Vos vero Collegae Ornatissimi, etiam atque etiam rogo, ut me in honestissimum ordinem, cui me Amplissimorum Magistratum benignitas et auctoritas adscripsit, non solum, verum etiam in familiaritatem Vestram et amicitiam recipere velitis; quam ut mereri possum, nullum me officii ac studii genus omissurum polliceor: ad quod non animus modo, sed commune commodum et utilitas nos inpellere debet. Nulli labori, quo diligentia nostra et Institutio ab universis Civibus laudari et probari possit, parcamus. Uno animo, una mente erudienda Juventutis commodis inserviamus, incumbamus. Ita veram laudem, laboris nostri optimam mercedem, consequemur: ita non inutilem operam Gymnasii splendori tuendo, quin forsan augendo, navabimus. Ita, dum nostra promovebimus commoda, Patriae Patribus, quae non infima est laus, nosmet maxime acceptos reddemus, et adprobabimus.

D I X I.

VIGILANTISSIMO atque ERUDITISSIMO

V I R O

A B R A H A M O D U R Y

O P T I M O M A G I S T R O ,

Cum, publice Oratione summo cum adplausu ha-
bita, amplissimi Gymnasii Goudani
Rector inauguraretur.



*Quae Patriae, primisque Viris, Populique
Magistris,*

*Atque aliis pejore licet sint forte, Sororum
Invigilasse choris, mentem et coluisse per artes,
Quae gravitate sua, nec non dulcedine mentes
Prolectare valent, nomenque inscribere Olympo,
Commoda ferre solet, dum Te, Vir magne, docentem
Audimus, dotes fluidi dulcisque videmus
Eloquii pariter, pariterque stupescimus omnes.
Et merito: tota simul adplaudente corona
Doctorum, rauco testor mea gaudia cantu,
Adgrediorque Tuas meditari carmine laudes,
Sim quamvis fateor, tantis conatibus inpar.
Nam qui Te memorem, dignisque encomia verbis
Eloquar, o! nostrae non gloria parva Minervae,*

Gymna-

2003 422

Gymnasiique decus ! cuius jam Fama perennis
Ingenii, ad nostros tandem referenda Penates ,
Munera larga tulit , seclis mansura futuris.
Seilicet hinc facili Procerum suffragia nutu
Conscia jam dudum rarae virtutis et artis ,
Te petiere suum merito , dignumque putarunt ,
Oblatas, rerum , tibi sponte , capescere habenas ,
Et minus humanos juvenum moderamine mores
Flectere prudenti , ac studiis formare decoris.
Ergo age , et illorum flagrantibus adnue votis ;
Sic eris Aönii mox Gloria magna Lycei ,
Ac summum meriti conscendes culmen honoris ,
Sic tandem ingenuae tollent caput altius artes ,
Et Studiis reddetur honor , sic laeta Juventus
Te duce gaudebit. Mea sed suffusa pudore
Langida Musa cupit numeris inponere finem ,
Hoc voto factura modum. Tua coepta secundet
Numen , et aeternum vigeas virtute perennis ,
Ut seri memores nati Tua nomina cantent.

HUBERTUS SWANENBURG,
Discipulus.

E M E N D A N D A.

Pag. 4. l. 8. obrutae lege , obruta .
p. 6. l. 11. ipse lege , ipso .
p. 14. l. 12. is qui lege , quis .

Pag. 15. l. 6. infractum lege , invictum .
p. 19. l. 13. subibat lege , obibat .
p. 24. l. 21. equidem lege , quidem .

a. 2286?